



Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Homilia XV. Et venit ad portam quæ respiciebat viam Orientalem, &
ascendit per gradus ejus. Et mensus est limen portæ calamo uno
latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudinem: & thalamum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

camus pede: quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet: quia & si cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet. Et in ipso pede amoris Dei tota virtute se sustinet. Et in ipso pede amoris Dei tota virtute se sustinet.

Cant. 5. a
Lib. 23. 20.
ral. c. 21.
* al. ab in-
quiereo

Isai. 6. a

eternim corde dormit, quia per hoc quod interiùs contemplando proficit, * à pravo foris opere quiescit. Sed inter hæc sciendum est, quia quamdiu in hac mortali carne vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, ut in ipso incircumscripto luminis radio mentis oculos infigat. Neque enim omnipotens Deus jam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illa speculatur anima, unde refota proficiat, & pòst ad visionis ejus gloriam pertingat. Sic namque Isaias cum se Dominum vidisse fatetur, dicens: *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: protinus adjunxit: Et ea que sub eo erant, implebant templum.* Quando Ozias rex superbus ac præsumptor moritur, Dominus videtur: quia cum mundi hujus elatio à desiderio mentis occiditur, tunc ipsa mens Dei gloriam contemplatur. Et notandum, quod Dominus super solium excelsum & elevatum sedet. Quid namque est ejus solium, nisi creatura angelica vel humana, cui per intellectum quem dedit, præsidet? Quod videlicet solium excelsum & elevatum dicitur; quia & natura humana ad cælestem gloriam elevata proficit, & creatura angelica dum multis spiritibus cadentibus jam solidata est in celo ne cadat, inde elevata est, unde & confirmata. Templum verò ejus, hoc est quod solium; quia æternus Rex ibi habitat, ubi sedet. Nos ergo templum illius sumus, in quorum mentibus habitare dignatur. Sed ea que sub eo erant, implebant templum: quia quiddam de illo modo conspicitur, adhuc non est ipse, sed sub ipso est. Sic Jacob Angelum vidit, & vidisse Deum fatetur: quia cum ministeria ejus conspicimus, jam multum est quod super nosmetipsos levamur. Notandum verò quod dicitur: *Implebant templum*, quoniam etsi Angelus apparet, infirmæ tamen mentis desiderio satisfacit; ut si adhuc majus non potest, jam tamen minus quod videri admiretur. Ea ergo que sub eo sunt, implebant templum; quia sicut dictum est, & cum mens in contemplatione profecerit, non jam quod ipse est, sed id quod sub ipso est, contemplatur. In qua videlicet contemplatione jam quietis internæ gustus contingitur. Cujus quia quedam quasi pars est, & perfecta nunc esse non potest, redè in Apocalypsi scriptum est: *Factum est silentium in celo, quasi media hora. Calum quippe est anima justi, sicut per Prophetam Dominus dicit: Calum mihi sedes est. Et, Cali enarrant gloriam Dei.* Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in celo: quia cum terrenorum actuum strepitus quiescit à cogitatione, ad secretum intimum * auris animum apponit. Sed quia hæc quies mentis esse in hac vita perfecta non potest, nequaquam horâ integrâ factum in celo silentium dicitur, sed quasi mediâ horâ; ut neque ipsa media hora plenè sentiat, cum præmittitur, quasi: quia mox ut se animus sublevare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi,

Gen. 32. d

Apoc. 8. a

Isai. 66.

Psal. 18.

* al. autem
animus

A redeunte citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, & confusus caratur. Vita igitur contemplativa quæ illic hora quasi media dicitur, apud Ezechielem prophetam non cubitus, sed palmus appellatur. Ecce fratres charissimi, dum uniuersulque vitæ causas exprimere cupimus, paulò latius per excessum locuti sumus. Sed bonis mentibus, quibus utraque eadem vita est ad agendum amabilis, esse non debet ad audiendum gravis. Sequitur: [*Et mensus est latitudinem ædificij calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.*] Omnipotens Deus qui nec in magnis tenditur, nec in minimis angustatur, sic de tota simul Ecclesia loquitur, ac si de una anima loquatur. Et sæpe quod ab eo de una anima dicitur, nil obstat si de tota simul Ecclesia intelligatur. Latitudo itaque ædificij ad charitatem pertinet, de qua Psalmista dicit: *Latum mandatum r sal. 118. ruum nimis.* Nil enim latius, quàm omnes in sinu amoris recipere, & nullas odij angustias sustinere. Sic quippe lata est charitas, ut in amplitudine dilectionis sue capere etiam inimicos possit. Unde & præcipitur: *Diligite inimicos vestros, benefacite eis Luc. 6. d qui oderunt vos.* Considerandum quoque nobis est, quia latitudo in æqualitate, altitudo verò in sublimitate tenditur. Latitudo ergo pertinet ad charitatem proximi, altitudo ad intelligentiam conditoris. Sed latitudo & altitudo ædificij uno calamo mensuratur; quia videlicet unaquæque anima quantum lata fuerit in amore proximi, tantum & alta erit in cognitione Dei. Dum enim se per amorem juxta dilatat, per cognitionem superius exaltat: & tantum super semetipsam excelsa fit, quantum se juxta se in proximi amorem tendit. Et quia ædificium quod inhabitat Deus, ex angelica simul & humana natura perficitur: per hoc quod angelica creatura sursum est, & humana adhuc deorsum, potest per latitudinem atque altitudinem ædificij, utraque hæc creatura significari: quia ista adhuc in imis degit, illa verò in sublimibus permanet. Sed uno calamo mensuratur utraq; quia humilitas hominum quandoque ad æqualitatem perducitur Angelorum. Unde scriptum est: *Neque nubent, neque nubentur, sed Mart. 22. c erunt sicut Angeli Dei in celo.* Et unde per Joannem dicitur: *Mensura hominis que est Angeli. Quia Apoc. 21. 6 usque ad illam altitudinem gloriæ homo perducitur, in qua solidatos se Angeli lætantur. Latitudo ergo ædificij tanta est, quanta & altitudo; quia electi quique qui modò in imis laborant, quandoque illis beatissimis spiritibus non erunt inæquales. Sed nos inter hæc redeamus ad mentem, ac totis medullis cordis Deum diligamus & proximum. Dilatemur in affectu charitatis, ut exaltemur in gloria celsitudinis. Compatiamur per amorem proximo, ut jungamur per cognitionem Deo. Condescendamus fratribus minimis in terra, ut cœquemur Angelis in celo: quia vir qui sua imagine Redemptorem signat, mensus est latitudinem ædificij calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. Nunc igitur metitur mores, pensat opera, cogitationes considerat: ut sine fine postmodum retributionem reddat Jesus Christus Unigenitus Patris: qui cum eo vivit & regnat in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.*

B

C

D

E

HOMILIA XV.

Et venit ad portam que respiciebat viam Orientalem, & ascendit per gradus ejus. Et mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudinem: & thalamum uno calamo in longum, & uno calamo in latum: & inter thalamos, quinque cubi-

tos: & limen porta juxta vestibulum porta intrinsecus, calamo uno.

VIt, cujus calamus mensura in manu ejus describitur, [venit ad portam qua respiciebat ad viam Orientalem.] Quis vero alius portae hujus appellatione signatur, nisi ipse Dominus ac redemptor noster, qui nobis janua factus est regni caelestis? Sicut ipse ait: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Sed cum eundem virum lineis induum figuram Domini tenere dixerimus, querendum nobis est quare ratione conveniat, ut idem Dominus & per virum designari valeat, & per portam, dum vir veniat ad portam? Nunquid nam ipse venit ad semetipsum? An ita est, quia & in Evangelio ipse testatur, dicens: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro? Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* Et paulo post dicit: *Ego sum ostium, pastor est ovium.* Et iterum subjungit: *Ego sum pastor bonus.* Si ergo pastor intrat per ostium, & ipse est ostium, ipse pastor; ipse proculdubio intrat per semetipsum. Ecce dum Ezechielis sensum enotare cupimus, de Evangelio etiam quaestionem ligamus. Querendum nobis itaque est qualiter & ipse intret, & per semetipsum intret. Dominus enim ac redemptor noster cum sancta Ecclesia, quam redemit, secundum carnem una substantia est, Paulo attestante qui ait: *Adimpleo ea qua desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Hujus capitis corpus Ecclesia est, & hujus corporis caput Christus. De quo suo capite exultat corpus, id est, sancta Ecclesia, cum per Psalmistam dicit: *Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos.* Quia enim quandoque ipsa etiam exaltanda est, jam nunc caput suum super inimicos suos exaltatum gaudet in caelis. Cum ergo electi quique ad vitam perveniunt, quia membra ejus per eum intrant ad eum, ipse per se intrat ad se. Ipse enim in suis membris est qui intrat, ipse caput ad quod intrantia membra perveniunt. Quod Ezechiel propheta multipliciter insinuat, qui virum venisse dicit ad portam, & qua eadem porta sit, ostendit, dicens: [Qua respiciebat ad viam Orientalem.] Ipse enim nobis est via, qui dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ipse etiam Orientalis via, de quo scriptum est: *Ecce vir. Oriens nomen ejus.* Porta ergo viam Orientalem respicit, quia illum signat qui nobis iter ad ortum fecit luminis. Potest etiam portae nomine, unusquisque praedicator intelligi: quia quisquis nobis januam regni caelestis ore suo aperit, porta est. Unde & duodecim portae vel Joannis Apocalypsi, vel in extrema hujus prophetae visione describuntur. Potest etiam portae nomine, scripturae sacrae scientia non inconvenienter intelligi: quae dum nobis intellectum aperit, caelestis regni januam pandit. Possumus portae nomine & fidem accipere, quam primam contingimus, ut ad virtutum aedificia intremus. Unde hinc aperte subjungitur: [Et ascendit per gradus ejus.] Quid enim gradus sunt hujus portae, nisi merita virtutum? Sive enim in cognitione mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi, seu in scientia divini eloquij, seu in ipsa fide quam de illo accepimus, quibusdam gradibus ad altiora incrementa pervenimus. Nemo enim repente fit summus, sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat. De his gradibus per Psalmistam dicitur: *Deus in gradibus ejus dignoscitur dum suscipit eam.* Dum enim sanctam Ecclesiam Dominus suscipit, in gradibus ejus dignoscitur, quia ejus gloria per illius incrementa declaratur. Quantum enim sancta Ecclesia ascendendo proficit, tantum Deus hominibus ex ejus virtutibus innotescit. De his quoque gradibus beatus Job loquitur, dicens: *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum.* Omnipotentem quippe Dominum per singulos gradus

suos pronunciat, qui per incrementa virtutum quae *cepit, ei semper laudem suae pietatis reddit. Si quidam gradus in cordis ascensione non essent, Psalmista non diceret: *Ambulabunt de virtute in virtute.* Nec mirum si de virtute in virtutem gradus sunt, quando unaquaeque virtus quasi quibusdam gradibus augetur, & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Aliud namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio, Si enim ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, sancti Apostoli minimè dixissent: *Adauge nobis fidem.* Et quidam venit ad Jesum, qui curari voluit filium suum, sed requisitus an crederet, respondit: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Penfatero, quod dicitur. Si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se noverat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiae, meritorum suorum gradibus fides crevit, uno eodemque tempore is qui necdum perfectè crediderat, simul & credebat, & incredulus erat. Hos nimirum gradus Dominus sub messis nomine describit, dicens: *Sic est regnum Dei quemadmodum si jaciatur homo semen in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet & crescat, dum nescit ille. Puro enim terra fructificat primum herbam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis.* Semen homo jactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen jactaverit, dormit; quia in spe boni operis quiescit. Nocte vero exurgit ac die; quia inter adversa & prospera proficit. Et semen germinat & crescit, dum nescit ille: quia dum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur. Et ultro terra fructificat: quia praeviente se gratia, mens hominis spontaneè ad profectum boni operis affurgit. Sed haec eadem terra primum herbam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere, est inchoationis bonae adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo concepta, ad profectum boni operis protrahit. Plenum autem frumentum in spica fructificat, quando jam intantum virtus proficit, ut esse robusti & perfecti operis possit. At cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem; quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim Deus producto fructu falcem mittit, & messem suam defecat; quia cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad caelestia horrea perducatur. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terram mittimus. Cum vero operari recta incipimus, herba sumus. Cum autem ad profectum boni operis creverimus, ad spicam pervenimus. Cumque in ejusdem boni operis perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. Herba etenim Petrus fuerat, qui passionis tempore per amorem Dominum sequens, hunc confiteri ante ancillae vocem timebat. Erat enim jam viriditas in mente, quia credebat omnium redemptorem, sed valde adhuc flexibilis pede conculcabatur timoris. Jam in spicam surrexerat, quando eum quem moriturum confiteri timebat, nunciante Angelo, in Galilea viventem videbat. Sed tunc plenum granum in spicam pervenerat, quando veniente desuper Spiritu, & suam mentem in illius amore roborante, ita solidatus est, ut vires perfectiorum caelus despiceret, & Redemptorem suum liberè inter flagella praedicaret. Nullus itaque, qui ad bonum propositum adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur: quia frumentum Dei ab herba incipit, ut granum fiat. Vir ergo vestitus lineis, venit ad portam: quia Dominus ac redemptor noster membris suis intrantibus perducitur ad se.

GREGORII
TOMI

Ioan. 14. a
Ioan. 10. b
Ibid.
Coloss. 1. d
Ephes. 1. d
Coloss. 1. c
Psal. 26. b
Ioan. 14. a
Zach. 6. c
Apoc. 21. e
Psal. 47. a
De parit. dist. 2. c.
cum san. etiam.
Job 31. d

* ut accipit
Psal. 83. b
Luc. 17. a
Marc. 9. d
Marc. 4. c
Luce. 12. b
Apost. 5. g
S. Bon. lib. 1.
Phar. c. 30.

se. Et ascendit per gradus ejus: quia nobis proficiantibus, eò nobis amplius exaltatur, quò altus & incomprehensibilis esse cognoscitur. In virtutum quippe nostrorum gradibus ipse ascendere dicitur; quia tantò ipse sublimior nobis ostenditur, quantum noster animus à rebus infimis separatur. Sequitur: [*Et mensus est limen portæ calamo uno in latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudinem*] Cur postquam dictum est, [*limen portæ*], statim subjungitur, [*limen unum*]; nisi quia apertè innuit, quòd adhuc inferius limen aliud dicatur? Porta autem à limine surgit, ut porta fit. Si igitur porta Dominus, quis hujus portæ limen est, nisi illi antiqui patres, ex quorum progenie Dominus incarnari dignatus est? Sicut per Paulum dicitur: *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Notandum verò est in hac Pauli sententia, quòd dij & ceteri hominum sunt vocati, sicut Moysi dicitur: *Ponam te in deum Pharaoni*. Et per Psalmistam dicitur: *Ego dixi, dij estis*. Et rursum: *Deus stetit in synagoga deorum*. Sed aliud est nuncupativè, aliud naturaliter dici Deum. Et si Moyses in deum Pharaoni est positus, sed deus intra omnia, non Deus super omnia dicitur. Qui verò est in utero Virginis incarnatus, Deus super omnia vocatur. Itaque limen portæ, sunt antiqui patres, ex quibus ille natus est, qui nobis aditum regni celestis aperuit. Limen autem portæ uno calamo mensuratur; quia ipsi antiqui patres, qui potuerunt Redemptorem nostrum & prophetando & bene vivendo predicare, tanquam sex cubitos in perfectione operis, & palmum in inchoatione contemplationis habuerunt. Quia enim eorum vitam in unitatem fidei & perfectæ operatio, & inchoata contemplatio sublimem reddidit, in uno calamo mensura liminis fuit. Sequitur: [*Et thalamo in longum, & uno calamo in latum*].

Rom. 9. a

Exod. 7. a

Psal. 8. b

Ibid. a

S. Hieron.

in Ezech.

40. c. 46.

Lib. 4. Moral. c. 46.

Cant. 2. b

Cant. 2. b

Pat. in

Cant. Cant.

c. 2.

Confideremus quid agi in thalamo soleat, atque exinde hoc quod in sancta Ecclesia agitur colligamus. In thalamo quippe sponsus & sponsa fœderantur, sibi que in amore junguntur. Quid ergo sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda in quibus anima per amorem sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, & amoris amplexu in celestis sponsi visione requiescere? Mens itaque, quæ jam talis est, nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit, medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus corporis, quia transfixa est vulnere amoris; unde & in Canticis dicit: *Vulnerata charitate ego sum*. Mala autem salus est cordis, quæ dolorem hujus vulneris nescit. Cùm verò anhelare jam in celeste desiderium, & sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute. Menti autem sponsum suum fortiter amanti, de mora vitæ præsentis una solet esse consolatio, si per hoc quòd ipsa ab ejus visione differtur, aliorum animæ ejus verbo proficiant, & ad celestem sponsum amoris facibus inardescant. Meret, quia differri se conspiciat: triste est ei omne quod aspiciat; quia illam adhuc non videt, quem videre concupiscit. Sed est, ut dixi, non parva consolatio, si cùm fervens anima differtur, per eam multæ colliguntur, ut tardè eum cum multis videat, quem sola videre citius volebat. Unde rursus in Canticis sponsa dicit: *Fulcite me floribus, & stipate me malis, quia amore langueo*. Quid namque sunt flores, nisi animæ bonum jam opus inchoantes, & desiderium celeste redolentes? Quid mala de floribus, nisi perfectæ jam bonorum mentes, quæ ad fructum perveniunt boni operis de initio sanctæ propositionis? Quæ ergo amore langueat, fulciri quærit floribus, stipari malis: quia si illum quem desiderat, videre adhuc non per-

S. Greg. Tom. I.

A mittitur magna est ei consolatio si de aliorum profectibus lætetur. Anima ergo sancta amore languida, floribus malisque fulcitur, ut requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei. Pensemus rogo, qualis thalamus Pauli mens fuerat, qui dicebat: *Mibi vivere Christus est, & mori lucrum*: omnipotenti Deo in quantum se amore conjunxerat, qui sibi vitam Christum tantummodo, & mori lucrum esse deputabat? Hinc est quòd iterum dicit: *Desiderium habens dissolui, & cum Christo esse multo magis melius*. Sed ecce qui dissolui desideras, quo amore langueas videamus. Quia interim differri te conspiciamus, fulciri quæso floribus non requiris? Quæris planè, nam sequitur: *Permanere autem in carne necessarium propter vos*. Et proficientibus discipulis dicit: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum?* Hinc est quòd idem thalamus uno calamo in longum, & uno calamo in latum dicitur mensus. Longitudo quippe ad longanimitatem expectationis pertinet, & latitudo ad amplitudinem charitatis. Tantum ergo uniusquisque thalamus habet in longitudinem, quantum & in latitudinem habere potuerit: quia mens celesti desiderio succensa, quantum amorem habuerit ad colligendum proximum, tantum & longanimitatem exhibet ad expectandum Deum: & patienter portat moras longitudinis, quia se in profectu proximi dilatat amplitudo charitatis. Potest etiam ipsa longitudo longanimitatem patientiæ quæ exhibetur proximo, designare. Et quia latitudo charitatem signat, quæ sinum mentis aperit, & amicos simul atque inimicos in amorem recipit, tanta est longitudo thalami, quanta latitudo: quia quantum lata mens fuerit per amorem, tantum erit & patiens per longanimitatem. Nam tantum quisque portat, quantum amat. Si enim amas, portas: si desistis amare, desistis tolerare. Quem enim minus diligimus, minus etiam toleramus: quia irruente fastidio, citius facta proximi adducuntur in gravedinem ponderis, quæ nobis non leviat penna charitatis. Sequitur: [*Et inter thalamos, quinque cubitos*]. Unum supra thalamum dixerat, & postmodum quinque cubitos esse inter thalamos narrat: ea videlicet ratione, quia multi thalami unum faciunt, sicut & multa Ecclesiæ una Ecclesia vocatur. Unde & in Joannis Apocalypsi septem Ecclesiis scribitur, per quas una Catholica designatur. Hi itaque qui in sancta Ecclesia, sicut diximus, ferventi amore Deum videre stant, eique jam per desiderium conjunguntur, thalami vocantur. Sed tamen sunt in ea quidam, qui penetrare subtilia depreffi, tantò minus amant eum qui fecit omnia, quantum amplius in his quæ facta sunt, illigantur. Et jam quidem exercere se in timore Domini, & amore proximi tendere student, bona opera corporaliter agere, elemosynis peccata redimere: sed quia amore intimo ardere ad celeste desiderium nesciunt, quasi adhuc devinèti corporis sensibus tenentur. Isti itaque thalami non sunt, sed tamen inter thalamos continentur; quia per eorum ducatum qui visionem Dei perfectè diligunt, & ipsi ad profectum mentis diriguntur. Inter thalamos ergo, quinque sunt cubiti; quia hi qui ab exterioribus quinque sensibus adhuc ad intellectum mysticum non assurgunt, dum inter eos sunt qui spiritu amoris fervent, velut manentes inter thalamos in fidei constructione proficiunt, & à mensura celestis ædificij disjuncti non sunt. Nam & paulisper se ab appetitu corporalium sensuum subtrahunt, & dilatato mentis spatio, imitantes charitatem quam conspiciunt, hinc inde ad thalamos extenduntur. Quòd ergo non per sex cubitos, sed per quinque descripti sunt, ipsa adhuc eorum imperfectio designa-

Philip. 1. c

Ibid.

Ibid.

B

C

D

E

* al. gravitatem.
* al. levigat.

L L I I

7. sal. 138. c
Psal. 113. c

tur. Sed tamen per bonum desiderium in mensura spiritalis ædificij esse memorantur, quia voce Ecclesie per Psalmistam dicitur: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Hinc iterum idem Psalmista dicit: Benedixit omnes timentes se Dominus, pufillos cum majoribus. Hi itaque etsi imperfecti sunt & pufilli: in quantum tamen cognoscere prævalent, & Deum & proximum diligunt, atque ideo bona quæ possunt, non negligunt operari. Qui etsi necdum ad spiritalia dona proficiunt, ut vel ad perfectam operationem, vel ad succensam contemplationem animam exerant; tamen ab amore Dei & proximi, in quantum animo capere prævalent, non recedunt. Unde fit, ut ipsi quoque etsi minori loco, in sancta tamen ædificatione sint positi: quia etsi ad doctrinam, si ad prophetiam, si ad miraculorum gratiam, si ad contemptum mundi plenius exequendum fortasse minores sunt, tamen in timoris & amoris fundamento sunt, in quo solidantur: quia etsi igne cælestis desiderij non ardent, in ipsis exterioribus quæ exercere suffiunt, vapore charitatis animantur, & inter proximorum præcellentium ædificia continentur. Unde & rectè sponsa in Canticis Canticorum loquitur, dicens: Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Hierusalem. Neque enim credendum est Salomonem tantæ magnitudinis regem, qui sic immensis divitiis affluebat, ut pondus auri ejus æstimari non posset, & argentum in diebus illis pretium non haberet, quia ferculum sibi ligneum fecit. Sed est Salomon videlicet pacificus noster, qui sibi de lignis Libani ferculum fecit. Libani quippe ligna cedrina valde sunt imputribilia. Ferculum itaque Regis nostri sancta Ecclesia est, quæ de fortibus patribus, id est, de imputribilibus mentibus est constructa. Quæ rectè ferculum dicitur, quia ipsa fert quotidie animas ad æternum convivium conditoris sui. Cui ferculo columnæ argenteæ factæ sunt: quia prædicatores Ecclesie sanctæ, eloquij luce resplendent. Est autem cum columnis argenteis reclinatorium aureum: quia per hoc quod à sanctis prædicatoribus lucidè dicitur, mentes audientium fulgorem * charitatis intimæ, in qua reclinentur, inveniunt. Per hoc enim quoddam luculentè & apertè audiunt, in illud quod clarescit in corde, requiescunt. Columnæ ergo ejus argenteæ, & reclinatorium aureum factum est; quia per lucem sermonis invenitur apud animum claritas quietis. Ille quippe fulgor internus mentem irradiat, ut per intentionem ibi requiescat, ubi prædicationis gratia non quærat. De eadem quippe sancta Ecclesia scriptum est: Penna columba de argentata, & posteriora dorsi ejus in specie auri. Quæ enim hæc spiritu mansuetudinis impleta quasi columba pennas deargentatas habet, in posteriora dorsi ejus speciem auri continet: quia hæc prædicatores suos sermonis luce induit; in posteriori autem sæculo fulgorem in se claritatis ostendit. Sed ad hoc quod clarum intus ostenditur, qualis sit ascensus adjungit, cum de eodem ferculo protinus subdit: Ascensum purpureum. Vera quippe purpura, quia de sanguine tingitur, non immeritò in colore sanguinis videtur. Et quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesie per martyrij sanguinem pervenit ad regnû, Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo: quia ad clarum quod intus aspicitur, per tribulationem sanguinis pervenitur. Quid ergo nos miseri atque ab omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columnæ esse non possumus, quia in nobis nec fortitudo operis, nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium aureum non habemus; quia necdum sicut oportet, per intellectum spiritalem requiem internæ claritatis aspiciamus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro

Cant. 3. e
Pat. in Cant.
sic. c. 24.

Greg. Cant.
3. Ruper.
ibid.

* al. ciaritat.
Greg. ubi
supra.

7. sal. 67. b

Cant. 3. d

A Redemptore nostro fundere sanguinem non valemus. Quid ergo de nobis agendum est? Quæ spes erit, si nullus ad regnum pervenit, nisi qui summis virtutibus præditus fuerit? Sed adest quoque nostra consolatio. Amemus in quantum possumus Deum, diligamus & proximum, & simul quoque nos ad Dei ferculum pertinemus; quia sicut illic scriptum est: Media charitate constravit. Habe quippe charitatem, & ibi sine dubio pertines, ubi & columnæ argenteæ eriguntur, & ascensus purpureus tenetur. Nam quia hoc propter nostram infirmitatem dicitur, apertè monstratur, cum illic protinus subdidit: Propter filias Hierusalem. Sermo etenim Dei qui non filios, sed filias dicit, quid aliud per sexum femineum, quam mentium infirma signavit? Quoddam ergo illic inter columnas argenteas, reclinatorium aureum, & ascensum purpureum; inesse media charitas dicitur propter filias Hierusalem; hoc hæc inter thalamos per quinque cubitos designatur: quia & qui in virtutibus infirmantur, si ipsi bona quæ possunt facere cum charitate non negligunt, à Dei ædificio alieni non sunt. Sequitur. [Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus, calamo uno.] Dum limen quod modò describitur, juxta vestibulum portæ intrinsecus esse memoratur, apertè ostenditur, quia limen quod prius scriptum est, extrinsecus fuit. Sed si porta est Dominus, quod sit limen portæ intrinsecus & extrinsecus requiramus. Per limen etenim portam unufquisque ingreditur. Et quæ sunt duo hæc limina, nisi patres Testamenti veteris, & patres Testamenti novi? Non solum quippe hi de quibus Dominus incarnari dignatus est, sed omnes Testamenti veteris patres portæ hujus limen fuerunt: quia hi qui cum prædicare & in eo sperare meruerunt, cunctis ad eum venientibus aperuerunt aditum fidei; & omnes qui per hos crediderint Dominum, quasi jam portam hujus liminis intraverunt. Sed cur antè limen exterius, & post limen interius dicitur, nisi quia prius Testamenti veteris patres, & postmodum novi Testamenti doctores fuerunt? Rectè autem limen exterius Testamenti veteris patres designat, quia per eorum prædicationem opera per versa punita sunt. Per dicta verò novorum patrum, unufcujusque animus etiam ab illicitis cogitationibus coercetur, dum reatus esse perfectus & in deliberatione cordis ostenditur. Illi quippe à flagitiis, à crudelitatibus, à rapinis auditorum animas prohibere curaverunt: isti verò dum non solum per versa opera, sed etiam illicita cogitationum reserant, quid nobis aliud, nisi limen intrinsecus facti sunt? Unde & ipsa Veritas loquitur, dicens: Audi. Mat. 5. c. stis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio. Rectè quoque exterius limen illos patres designat, qui ab ipsa incarnatione Redemptoris nostri per intervalla temporum longius constiterunt. Et quidem ab Abel sanguine, passio jam cepit Ecclesie: & una est Ecclesia electorum præcedentium atque sequentium. Sed tamen quia discipulis dicitur: Multi reges & prophetae voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: antiquis patribus quasi foris stetit est, Redemptoris nostri præsentiam corporaliter non vidisse. Exteriùs igitur, sed tamen non divisi à sancta Ecclesia fuerunt; quia mente, opere, prædicatione, ista jam fidei sacramenta tenuerunt, istam sanctæ Ecclesie celsitudinem conspexerunt, quam nos non adhuc præstolando, sed jam habendo conspiciamus. Sicut enim nos in præterita passione Redemptoris nostri, ita illi per fidem in eadem ventura sunt salvati. Illi ergo foris non extra mysterium, sed extra tempus. Unde & in constructione tabernaculi, ut columnæ argenteæ interius starent, paxilli ærei figi per circuitum ex-

B

C

D

E

Luc. 10. d

Pat. in Eze.
c. 42.

GRÉGO
RII
TOM. 1.

terius iusti sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur. Columnæ itaque argentæe interius, paxilli verò ærei in circuitu figuntur, atque in ipsis funes ligati sunt, ut tabernaculum fixum maneret: quia videlicet ut sancti Apostoli in luce sermonis sui solidi starent, & totum tabernaculum, id est, sancta Ecclesia in fidei integritate consisteret, tanquam paxilli ærei patres Testamenti veteris ac Prophetæ exterius fixi sunt, qui verborum suorum funibus prædicatorum mentes in soliditate constringerent, atque hoc Dei habitaculum in statu fidei ligarent. Extrâ ergo paxilli sunt, qui ante tempus hujus sanctæ Ecclesiæ fuerunt. Sed tamen eos ligant qui in ipsa sunt; quia dum cælestia mysteria ventura prædicant, hæc postquam ostensa sunt, credibilia omnibus fecerunt. Ut ergo intus columnæ immobiles stent, foris paxilli funes continent: quia ut sancti Apostoli perfectè incarnationis Dominicæ mysterium crederent, illorum prædicatio obtinuit, qui hoc priusquam fieret, & videre & prædicere poterunt. Unde rectè quoque ipse primus Apostolorum, magna scilicet columna veri tabernaculi, loquitur dicens: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene faciitis intendentes, quasi lucerna lucens in caliginoso loco.* Quibus verbis indicat, quia quamvis ad altiora surrexerit ex culmine, ibi religatus perficitur in fide. [Scriptura autem prophetici sermonis in tenebris vitæ præsentis facta est nobis lucerna, & lumen itineris, unde Psalmista dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen seminis meis.*] Quæ tamen lucerna prophetici sermonis jam quidem intelligentibus lucet, sed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obscuritatibus permanet. Unde etiam per Psalmistam de iisdem dictis Prophetarum dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aëris;* quia videlicet occulta est scientia in Prophetis. Nec immeritò columnæ argentæe, paxilli verò ærei facti sunt: quia quod clarè jam Apostoli prædicant, hoc Prophetæ sub intellectu mystico obscure locuti sunt. Rectè ergo per æris metallum signati sunt, qui clari in suis prædicationibus non fuerunt, Sancti verò Apostoli, qui ad Redemptoris nostri mysterium, lucem prædicationis habuerunt, argenteis columnis expressi sunt. Et notandum, quod argentum sonat & lucet, æs verò sonat & non lucet; quia prædicatores novi Testamenti aperte locuti sunt, quæ etiam monstrare potuerunt. Prædicatores verò Testamenti veteris quia per allegoriarum umbras de cælesti mysterio obscura dicta protulerunt, quasi sine luce sonitum dederunt. Quod ergo illic per paxillos & columnas, hoc hinc per limen exterius & limen interius designatur. Si verò portam, scriptura sacram hoc in loco accipimus, ipsa quoque duo limina habet, exterius & interius, quia in litteram dividitur & allegoriam. Limen quippe scripturæ sacræ exterius, littera: limen verò ejus interius, allegoria. Quia enim per litteram ad allegoriam tendimus, quasi à limine quod est exterius, ad hoc quod est interius venimus. Et sunt in ea permulta, quæ ita juxta litteram mentem ædificant, ut per hoc quod exterius agitur, audientis mens interius trahatur. Ibi quippe invenimus prædicamenta operis & exempla virtutis: ibi jubetur quid agere etiam corporaliter debemus: ibi hoc quod ad operandum præcipitur, in sanctorum virorum ac fortium actione monstratur: ut postquam nos apertiora præcepta atque exempla iustorum ad bonam operationem instruant, tunc ad limen interius, id est, ad intellectum mysticum intimæ contemplationis tendamus, si possumus, pedem mentis. Studete quæso, fratres charissimi, Dei verba meditari, nolite despiciere scripta nostri Redemptoris, quæ ad nos missa sunt. Multum valde est, quod per ea animus refricatur ad calorem, ne iniquitatis suæ frigore torpescat. Cum illa præcedentes iustos

S. Greg. Tom. I.

A fortiter egisse cognoscimus, & ipsi ad fortitudinem bonæ operationis accingimur, sanctorum exemplorum flammâ animus legentis incenditur. Videret quæ fortia ab eis facta sunt, & valde indignatur sibi, quia talia non imitatur. Unde rectè sponsi voce ad sponsam dicitur: *Sicut turris David collum tuum, quæ adificata est cum propugnaculis suis. Mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium.* In collo etenim guttur, in gutture vox est. Quid ergo per collum sanctæ Ecclesiæ, nisi sacra ejus eloquia designantur? In qua dum mille clypei dependere memorentur, per hunc perfectum numerum numerus universus ostenditur, quia universa nostra munitione in sacro eloquio continetur. Ibi quippe sunt præcepta Dei, ibi exempla iustorum. Si enim torpet animus à conditoris sui desiderio, audiat quod dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* In odio fortasse labitur proximi? Audiat quod dicitur: *Diligis proximum tuum, sicut te ipsum.* Res aliena concupiscitur? Audiat quod illic scriptum est: *Non concupiscas rem proximi tui.* De injuria quæ proximo ore vel factò illata est, ad iram mens accenditur? Audiat quod dicitur: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* In carnis concupiscentiam malè fauciata mens accenditur? Ne sequatur oculus mentem, audiat quod paulò superius dictum est: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Contra inimicum forsitan quisquam animum suum relaxare disponit in odium? Audiat quod illic scriptum est: *Diligite inimicos vestros, benedicite his qui vos oderunt.* Sed his qui aliena jam non rapit, adhuc forsitan sua inordinatè retinet? Audiat quod illic dicitur: *Vendite quæ possidetis, & date elemosynam.* Infirmantis animus perfrui desiderat Deo simul & sæculo? Audiat quod illic scriptum est: *Nemo potest duobus dominis servire.* Alius non ad necessitatem stipendij, sed ad voluntatem desiderij possessa retinet? Audiat quod illic dicitur: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Quidam enim relinquunt omnia, multi autem etiam possidendo renunciant, quia sic ad usum possessa retinent, ut eis ex desiderio non succumbant. Torpore quicquam appetit, & laborem subire pro Domino etiam cum prævalet, refugit? Audiat quod illic scriptum est: *Qui mecum non colligit, spargit.* In collo ergo Ecclesiæ, id est, in sacri eloquij prædicatione quod pro sua munitione & altitudine, turri David simile dicitur, mille clypei dependunt: quia quot illic præcepta sunt, tot etiam peccatorum nostri munimina. Ad servandam itaque innocentiam etiam lasi à proximo perdurare in humilitate festinamus? Abel ante oculos veniat, qui & occisus à fratre scribitur, & non legitur reluctatus. Mentis munditia etiam in conjugali copula eligit? Enoch debet imitari, qui & in conjugio positus ambulavit cum Deo, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Præcepta Dei festinamus præsentis nostræ utilitati præponere? Noè ante oculos veniat, qui cura domestica postposita, ex jussione omnipotentis Domini per centum annos ad arce fabricam vixit occupatus. Subire obedientiæ virtutem nitimur? Aspiciere Abraham debemus, qui relicta domo, cognatione, patria, obediit exire in locum quem accepturus erat in hereditatem: & exiit nesciens quò iret: qui paratus extitit, ut pro æterna hereditate dilectum quem acceperat, occideret heredem. Et quia unicum Domino offerre non distulit, universam multitudinem gentium in semen accepit. Morum simplicitas placet? Isaac ad mentem veniat, quem in omnipotentis Dei oculis vitæ suæ tranquillitas ornavit. Laboriosa fortitudo, ut obtinere debeat, quæritur? Jacob ad memoriam deducatur, qui postquam scivit fortiter servire homini, &

LLII ij

2. Pet. 1. d
Pat. in 2.
Pet. 1. c. 2.
[Verba se-
mirculis
inclusa non
habentur in
lib. MS. nec
in quibus-
dam im-
pressis.
Psalm. 118.

Psalm. 17. b

Cant. 4. f

Idem lib. 13

Moral. c. 2.

Supra Cant.

4.

Matt. 22. b

Ibid. c

Exod. 20.

Lev. 19. d

Matt. 5. d

Luc. 6. d

Luc. 12. c

Matt. 6. d

Luc. 14. g

Luc. 11.

Gen. 2. a

Gen. 5. a

Genes. 6.

Gen. 12.

Hebr. 11.

Genes. 22.

Gen. 24. f

Gen. 29. 31.

& 32.

ad eam quoque virtutem deductus est, ut non potuisset à luctante Angelo superari. Conamur carnis illecebram vincere? Joseph ad memoriam redeat, qui tentante se domina studuit carnis continentiam etiam cum vitæ periculo custodire. Unde factum est, ut quia membra sua bene novcrat regere, regendâ quoque omni Ægypto præfesset. Mansuetudinem atque patientiam obtinere quærimus? Moysen ante oculos deducamus, qui clypeis parvulis ac mulieribus, sexcenta millia armatorum regens, mitis fuisse describitur super omnes homines qui habitabant super faciem orbis terræ. Rectitudinis zelo contra vitia accendimur? Phinees ante oculos deducatur, qui coeuntes gladio transfigens, castitati populum reddidit, & iram Dei iratus placavit. De spe omnipotentis Dei præsumere in dubiis quærimus? Josuë ad memoriam revocemus, qui dum dubia certamina certa mente subiit, ad victoriam sine dubietate pervenit. Jam mentis inimicitias * punire cupimus, in benignitate animum dilatare? Samuel in cogitationem deducatur, qui de principatu dejectus à populo, cum idem populus peteret, ut pro eo Domino preces effunderet, respondit dicens: *Abstine à me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis.* Culpam quippe vir sanctus perpetrare se credidit, si eis quos adversarios pertulerat usque ad ejectionem, benignitatem gratiâ non reddidisset in prece. Qui rursus quem jubente Domino mitteretur ut David ungeret in regem, respondit: *Quo modo vadam? Inveniet enim me Saul, & occidet me.* Et tamen quia iratum Deum eidem Saül cognoverat, in tanto se luctu afflixerat, ut ei per se Dominus diceret: *Quisquisque in Saulem iuges, cum ego illum abjecerim?* Pensamus ergo ejus animum quantus ardor charitatis incenderat, qui & illum flebat à quo timebat occidi. Cavere autem volumus quem timeamus? Sollicita nobis mente pensandam est, ne si locum fortasse reperimus, malum pro malo reddamus ipsi quem fugimus. David ergo ad memoriam redeat, qui persequentem se regem & invenit ut potuisset occidere, & tamen in ipsa ferendi potestate positus, elegit bonum quod ipse deberet facere, non autem malum quod ille merebatur pati, dicens: *Abstine à me ut mittam manum meam in Christum Domini.* Et cum idem Saül post ab hostibus fuisset interemptus, eum quem persecutorem dum viveret pertulit, flevit occisum. Errantibus hujus mundi potentibus liberè loqui decernimus? Joannis auditoritas ad animum reducat, qui Herodis nequitiam reprehendens, pro verbi rectitudine occidi non timuit. Et quia Christus est veritas, ipse ideo pro Christo, quia pro veritate, animam posuit. Carnem jam nostram pro Deo ponere in mortem festinamus? Petrus ad mentem veniat, qui inter flagella gaudet, qui casus principibus restitit, qui vitam suam pro vita despicit. Cum mortis appetitu disponimus adversa contemnere? Paulus ante oculos deducatur, qui non solum alligari, sed & mori paratus pro Christo, non facit pretiosiores animam suam, quam se. Succendi cor nostrum igne charitatis quærimus? Joannis verba pensamus, cujus omne quod loquitur, charitatis igne vaporatur. Quia ergo in voce sacri eloquij, cujuslibet dum quærimus munimen virtutis invenimus; mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium. Si enim pugnare contra spiritalia nequitie volumus, in collo Ecclesie, quæ nobis sicut David turris erecta est, id est, in divino eloquio protectionis arma requiramus, ut ex discretionis præcepti, contra vitia sumatur virtus adjutorij. Ecce enim contra aéreas potestates festinamus fortes existere? In hacturri armaturam nostrâ mentis invenimus, ut inde præcepta conditoris, inde sumamus exempla præcedentium, per quæ contra adversarios nostros inexpugnabiliter armemur. Dum enim

A quamlibet virtutem subire appetis, & hanc illic à patribus jam impletam vides, ibi armaturam tuam invenis, per quam contra spiritalia bella munitur. Dependent in ea quippe mille clypei: si quis pugnare appetit, assumat, & ex ea virtute pectus munit, & verborum jacula emitat. Et notandum, quia edificata cum propugnaculis suis dicitur. Hoc quippe agunt propugnacula, quod clypei, quia utraque pugnancem muniunt. Sed inter utraque distat, quia clypeum pro nostro munimine ubicumque volumus, movemus: propugnaculo autem defendi possumus, sed hoc movere non possumus. Clypeus in manu tenetur, nam propugnaculum non tenetur. Quid ergo inter propugnacula & clypeos distat, nisi quòd in sacro eloquio patrum præcedentium & miracula legimus, & virtutes bonorum operum audimus? Ibi namque cognoscimus quòd alius potuit mare dividere, alius solem figere, alius mortuum suscitare, alius paralyticum verbo erigere, alius umbrâ ægrotos curare, alius per * suam præsentiam febribus obviare. Qui tamen omnes & patientiam longanimitate mites, & zelo rectitudinis ferventes fuerunt; verbi prædicatione divites, simul & misericordie largitate. Hi itaque quàm vera de Deo dixerint, testantur miracula, quia talia non facerent, nisi de illo vera narrarent. Et quàm pij, quàm humiles, quàm benigni extiterint, eorum testantur operationes. Si igitur de fide tentamus, quam ex illorum prædicatione concepimus, loquentium miracula conspicimus, & in fide quam ab eis accepimus, confirmamur. Quid ergo illorum miracula, nisi nostra sunt propugnacula? Quia & muniti per illa possumus, & tamen hæc in manu nostri arbitrij non tenemus: nam talia facere non valeamus. Clypeus verò in manu est, & defendit: quia virtus patientie, virtus misericordie, præcedente nos gratia, & in potestate est arbitrij, & à periculo protegit adversitatis. Turris itaque nostra cum propugnaculis suis edificata est, in qua mille clypei dependent: quia in scriptura sacra & sub miraculis patrum à jaculis adversitatis abscondimur, & conversationis sanctæ munimina eam in manu operis tenemus. Notandum verò, quòd limen porte uno calamo mensuratur. Calamus autem in sex cubitis & palmo tenditur: quia videlicet in scriptura sacra, & doctrina perfectæ operationis & initium supernæ contemplationis invenitur. Sin verò porta hoc loco unusquisque prædicator accipitur, limen exterior in porta est vita activa; limen verò interior, vita contemplativa. Per illam quippe ambulatur in fide, per hanc verò festinatur ad speciem. Illa exterior ducit, ut unusquisque bene vivere debeat: ista interior perducit, ut ex bona vita ad gaudia æterna pertingat. Hæc nos hodie tractasse sufficiat. Quia enim transeuntes ad alia, diu per excessum locuti sumus, ea quæ subjuncta sunt, lectioni alteri reservemus, reparandi per silentium, sperantes in Verbo, quod vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XVI.

Et mensus est vestibulum porte octo cubitorum, & frontem ejus duobus cubitis. Vestibulum autem porte erat intrinsecus. Porro thalami porte ad viam Orientalem, tres hinc, & tres inde, mensura una trium, & mensura una frontium ex utraque parte. Et mensus est latitudinem liminis porte decem cubitorum, & longitudo.

Ezec. c. 11. vers. 9.